



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VII. Cùm in officijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Cum in officijs.

PARAPHRASIS.

Et si Charitatis officia ijs ante alios exhibere debeamus, à quibus beneficium accepimus, contrarium tamen agunt Clerici nonnulli, qui cum multa ab Ecclesijs beneficia acceperint, bona per eam acquisita in alios transferre præsumunt: quia verò id sacris Canonibus prohibitum est, ideò Alexander III. in Concilio Lateranensi c. 17. decernit, siue beneficiarij intestati decedant, siue testati, ut bona ea penes Ecclesiam maneant.

SUMMARIUM.

1. Illis, ceteris paribus, benefacere nos oportet, qui in nos præ ceteris benefici fuerunt.
2. De bonis per Ecclesiam acquisitis testari non potest Clericus.

NOTandum primum. Ijs ante alios benefacere oportet, qui prius nos benefici affecerunt; id enim gratitudinis ratio postulat. Veruntamen hæc congruentia quadam est, non causa adæquata, & principalis, cur beneficiarij Ecclesiasticos redditus, qui ipsis superflui sunt, Ecclesiæ relinquere, si eos ad causas pias in vita non erogarunt, sicuti iterum dicitur c. sequente.

2. Notandum secundum. Clericus de bonis per Ecclesiam acquisitis testari, seu mortis causâ relinquere non potest, quia secundum Canonum statuta remanere debent penes Ecclesiam, siue beneficiarius decedat testatus, siue intestatus. Ita hic & in c. sequente c. quia 9. c. relatum 12. hoc tit.

CAPITULUM VIII.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Tametsi Clerici beneficiarij de rebus mobilibus, quas ab Ecclesia acquisiverunt,

testari de jure non possint; tamen in agitudine constituti, si sui composuerint, aliqua intuitu elemosinæ erogare, seu donare moderatè non prohibentur.

SUMMARIUM.

1. In mortis periculo potest ex redditibus Ecclesiasticis superfluis beneficium Clericus, moderatas donationes facere in causas pias.
2. Et ad multas lites cavendas, ut donationem taliter faciat, si qua de ipsa re vellet ad causas pias, suadet.

NOTandum. Clericus beneficiarius in mortis periculo ex redditibus Ecclesiasticis, qui ipsi superflui sunt, donationes moderatas in pauperes, vel alias causas pias facere potest. Ita hic & tradit Gl. Abbas, Cren. & alij in c. præcedente.

Quæres primò. Quare de hoc dubitatum sit, cum certum sit Prælati & alijs beneficiarij concessum esse, hujusmodi erogationes in pauperes &c. aliasque causas pias facere, dum in vivis sunt. Resp. rationem dubitandi ortam fuisse ex regula 14. m. 6. cum quod unâ viâ prohibetur aliquid, id aliâ non debet admitti: Clerici autem morituri, quibus prohibitum est, mortis causa disponere ad causas pias, possent hoc ipsum in effectu agere per modum donationis, atque elemosinæ.

Veruntamen hoc non obstante, Pontificales donationes ratas esse ait: nam uti Doctores hic notarunt circa Gl. finalem, ea juxta regulam vera est, si res, seu effectus secundum se, & absolute prohibitus sit, non item, si prohibitus tantum respectu certis modi. Exempli causâ prohibitus est ex pecunijs elocatis aliquid supra sortem seu capitale accipere per modum usuræ, seu ex vi mutui, licet alio ex titulo accipi hoc ipsum nihil obstat. Ita verò se res habent in proposito, siquidem erogatio in pauperes ex superfluis redditibus beneficiario morituro non prohibetur secundum se, & propter se, atque absolute, sed cum ordine